THESES SELECTAE EX THEOLOGIA UNIVERSA QUAS GEORGIUS DE-LUCCHI ET...

Giorgio De Lucchi, Luigi Caranzetti

THESES SELECTAE
EX THEOLOGIA UNIVERSA

QVAS

GEORGIVS DE-LVCCHI

SACERDOS VICENTINVS E SEM. ROM.

ET ALOYSIVS CARANZETTI

SACERDOS SVBLACENSIS E SEM. PIO

PVBLICE VINDICANDAS SVSCIPIVNT

IN LYCEO PONT. SEMINARII ROMANI

AD S. APOLLINARIS

IV. KAL. MAI. MDCCCLXX.

ROMÆ
EX TYPOGRAPHEO BONARUM ARTIUM
1870

472

PROOEMIUM

Quod in more apud nos positum fuit, ut qui in hac studiorum palaestra sacris praesertim disciplinis sedulam navarent operam, sui aliquando profectus publicum facerent experimentum; id hoc tempore nullo modo omittendum nobis esse arbitrati sumus. Quum enim ad B. Petri Sedem ex omnibus terrarum orbis partibus, iussu Pii IX. P. M., ecclesiarum pastores convenerint, ut collatis consiliis Fidei morumque sanctitati et Religionis incolumitati prospicerent; non eam esse praetermittendam occasionem existimavimus, ut aliquam observantiae erga ipsos nostrae significationem exhiberemus. Quid vero illis gratius, quid nobis esse aptius potest quam institutam de universa Theologia disputationem amplissimo eorum nomini inscribere, atque indulgentissimae humanitati commendare ? Quam ob rem hujus Lycaei moderatores, quibus cura commissa est lectissimae inventutis, quae in spem succrescit christianae religionis, binos ex utroque Seminario alumnos deligendos curarunt, qui publicum facerent studiorum experimentum, unaque debiti erga catholici orbis antistites obsequii argumentum praeberent. Nos autem ad hoc munus electi nobis quidem ipsi magnopere gratulamur ; at simul vehementer commovemur, quod

tanto oneri ferendo impares nostras esse vires cognovimus. Quis est enim tam in theologicis disciplinis versatus, et sacrarum rerum peritus, qui non moveatur ac metuat, quum sibi de iisdem rebus coram illis disputandum sit, qui Fidei sunt magistri et christianae veritatis doctores ac vindices a Deo constituti ? Quod quum sit huiusmodi , ut vel doctissimis viris metum ac trepidationem iniiciat , multo nos gravius ac vehementius urgeat oportet. Plurima enim deesse nobis videmus, quaé nisi provectiori aetate , multoque studio et labore comparari non possunt. Nam non alia nobis est dicendi facultas, quam quae angusto ipsius scholae ambitu continetur, nec alia theologicae dotrinae copia, quam quae in studiorum curriculo, nimis fortasse brevi , per tot res leviter presso vestigio percurrentibus paratur. Haec quidem reputantibus cogitatio animum subiit impositum onus, si fieri posset, declinare : ex qua tamen cogitatione eorum nos consilium deterruit, quorum voluntati obsistere est nefas. Iam, ut nunc quidem est, duae sunt res quae nobis metum sublevant, et alacriores pro mptioresque faciunt: primum quidem Deiparae Virginis Immaculatae auxilium, cui hoc qualecumque nostrorum studiorum experimentum dedicatum volumus; deinde benignitas vestra ; Praesules amplissimi , et humanitas singularis tum erga omnes, tum maxime erga sacri ordinis alumnos quos praecipuo quodam amore complecti, quorum industriam et laborem totis viribus adiuvare consuevistis.

Quae quum ita se habeant, ut aliquid, sicuti mos est, de iis dicamus quae hac disputatione continentur , primo de iis, quae ad sacrorum Librorum originem et auctoritatem cum divinam, tum humanam pertinent, disseremus, et praecipuas catholicae interpretationis regulas a veritate non aberrare demonstrabimus. Deinde de Ecclesiae a Christo institutae ratione, deque eius proprietatibus ac iuribus loquemur. Tum primatus Romani Pontificis naturam declarare , iura tueri ac vindicare non opportunum modo , sed etiam necessarium esse duximus, quum omnis inimicorum impetus

eo feratur, uti hanc tutissimam Ecclesiae arcem evertant. Praeterea multo ampliorem disserendi copiam suppeditabunt, quae ad Dei naturam, ad augustissimum sanctissimae Trinitatis et ineffabile dominicae Incarnationis mysterium, ad Gratiae et Sacramentorum, quibus divinae Redemptionis in nos beneficia dimanant, oeconomiam referuntur. Postremo nonnulla Ecclesiasticae Historiae capita persequemur, ea vero maxime quae pertinent ad concilia oecumenica, quaeque etiam nunc in controversiam vocari solent.

His dictis nihil restat aliud, nisi ut nos iterum vestrae benevolentiae commendemus, qua freti ut diximus, hoc tantum onus suscipere non dubitavimus.

EX SACRA SCRIPTURA

I.

Libros Sacros N. T. ab iis quibus inscribuntur auctoribus fuisse exaratos, argumenta externa evidenter demonstrant.

II.

Defendendum spectatim suscipimus genuinos esse historicos ejusdem Testamenti libros, quatuor nempe Evangelia et Acta Apostolorum.

III.

Epistola ad Haebreos est genuinum D. Pauli opus.

IV.

Non alii scriptori quam Ioanni Apostolo est adjudicanda Apocalypsis.

V.

Perperam assertores millenarii Christi in terris regni, in patrocinium suae causae oracula Cap. XX. Apocalypsis adsciscunt.

VI.

Scriptores N. T. omnibus illis dotibus instructi sunt, quas critici requirunt ut auctor quisque fide dignissimus habeatur.

VII.

Atque imprimis summam merentur fidem in narrationibus de

47✓

miraculis, quae a Iesu Christo et ab Apostolis patrata esse narrantur.

VIII.

Ut ex his miraculis quaedam speciatim defendamus, contendimus Iesum Christum vere a mortuis resurrexisse.

IX.

Vere etiam Apostoli, sacro Pentecostos die linguis peregrinis locuti sunt, et hoc factum (Act. II.) aliter quam per miraculi explicari nequit.

X.

Item quae Lucas (Act. IX.) de conversione Pauli narrat historicam omnem merentur fidem et ineptissime atque impudenter a causis mere naturalibus repetuntur.

XI.

Unde absurde et insapienter Strauss ejusque asseclae eadem miracula in mythos convertere conatur.

XII.

Miracula Iesu Christi, eum verum divinum Legatum imo Dei filium naturalem esse luculenter ostendunt.

XIII.

Vaticinia ab eodem I. C. prolata suum adimplementum habuerunt ac proinde ejus divinam missionem rursus evincunt.

XIV.

Id nominatim ostendimus de celebri illo vaticinio, quod templi et urbis Hyerosolymae eversionem praedixit.

XV.

Nec non de alia non minus insigni prophetia, qua vaticinatus est se triduo post mortem resurrecturum fore.

XVI.

Infirma omnino esse dicimus quae ad ejusdem oraculi historicam fidem labefactandam Paulusius protulit.

XVII.

Prodigia ab Apostolis edita eos fuisse divinos legatos invicte demonstrant.

XVIII.

Quinam sint libri Deo afflante exarati neque ex argumentis internis neque ex illustratione Spiritus Sancti, quae animo cujusque fiat discerni potest.

XIX.

Sed externo Legatorum divinorum testimonio.

XX.

Legatos divinos Christum et Apostolos nobis tradidisse Scripturam divinitus inspiratam, nedum ex sensu totius antibuitas sed ex ipsis SS. Literis nominatim ex celebri Pauli testimonio (II. ad Tim. III. 16) demonstratur.

XXI.

Ex utroque revelationis fonte evincitur SS. Libros eo sensu vocari divinos, quo Deus hominibus tamquam moralibus instrumentis usus ad scribendum , ita in eis egerit , ut causa princeps et verus eorum auctor censeri debeat.

XXII.

Quare sententia quae extendit inspirationem ad verba singula stylumque sermonis in conceptum inspirationis invehit quae ad illum essentialiter constituendum necessaria non sunt, eaque scripturis ipsis inspectis minus vera ostenditur.

XXIII.

E contrario inadaequatam de inspiratione notionem sibi fin-

gunt, qui eam in divino ad scribendum impulsu, et in assistentia tantum, uti ajunt, negativa consistere dictitant.

XXIV.

Multo magis a veritate recedit opinio, quae statuit illam eamdem assistentiam in levioribus et quae fidei morumque doctrinam non attingunt, hagiographis interdum defuisse.

XXV.

Nec sufficit, quod liber industria mere humana conscriptus divinum subsequens de sua veracitate receperit testimonium.

XXVI.

Testimonium Christi et Apostolorum relate ad integrum Canonem etiam eorum librorum quos Protestantes uti divinos retinuerunt, nobis certo non innotescit ex traditione humana sed ex traditione divino-ecclesiastica.

XXVII.

Perpetua et constans Ecclesiae traditio docet, divinum de inspiratis codicibus testimonium ad eos omnes libros porrigi, quos Tridentinum Concilium in suo Canone recensuit.

XVVIII.

Praeter literalem sensum in bibliis saltem V. T. admittendus est sensus symbolico-propheticus de Christo et Ecclesia.

XXIX.

Absurdum et blasphemum est sistema accomodationis dogmaticae.

XXX.

Item uti absurdum et insipiens excludendum esse dicimus sistema a recentioribus invectum, quod mythicae interpretationis appellant.

XXXI.

In SS. literis, in effatis eorum qui ex divina inspiratione loquuntur, nulla falsitas, nulla veri nominis contradictio invenitur.

XXXII.

Ac ut de quodam loco speciatim loquamur, contendimus inter varias Evangelistarum narrationes de Christi resurrectione, nullam realem extare contradictionem.

XXXIII.

Sacrae Scripturae in iis etiam quae ad fidem moresque pertinent, obscurae sunt, proindeque humana ratio ceu supremus interpres constitui nequit.

XXXIV.

Supremus et infallibilis Sacrae Scripturae interpres, in iis quae ad fidem moresque pertinent, ex divina institutione una est Catholica Ecclesia.

XXXV.

Quare Scriptura in locis dogmaticis est exponenda juxta eum sensum quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia et Patres moraliter unanimes proposuerunt.

XXXVI.

Non est audiendus Iahnius affirmans praefato Concilii Tridentini decreto negative tantum praecipi, ne Scriptura in iisdem locis contra Ecclesiae Patrumque conspirantium doctrinam enarretur, non vero ut ipsae eorum interpretaiones retineantur.

XXXVII.

Dogmatica sacri Codicis expositio est redigenda ad normam non solum doctrinae biblicae, sed etiam totius doctrinee catholicae.

XXXVIII.

Analogia totius Catholicae doctrinae et criterium *negative* certum in effatis dogmaticis bibliorum exhibet falsae interpretationis, et *positive* adjuvat interpretem ad verum sensum in obscurioribus inveniendum.

EX LOCIS THEOLOGICIS

DE ECCLESIA

I.

Christus Ecclesiam instituit, supernaturalem nempe et spiritualem societatem cui revelationem quam homines edocuit custodiendam reliquit.

II.

In ea autem condenda illum sibi finem divinus Institutor praestituit, ut hominibus idonea suppeditaret media quibus aeternam salutem sibi possent comparare.

III.

Haec Ecclesia Christi tum in existentia tum in peculiari sua constitutione ab ipsius voluntate dependet, et proinde necessaria et legalis societas dicenda est.

IV.

Inspecta autem Christi voluntate, eadem una est unitate fidei communionis et regiminis.

V.

Est etiam natura sua visibilis.

VI.

Ad consummationem usque saeculorum est duratura, seu est perpetua.

VII.

Certis quibusdam notis eamdem Christus decoravit, ut ab hominibus agnosci atque a falsis sectis distingui valeat.

VIII.

Immerito igitur Sociniani quaetionem de Ecclesiae notis vel impossibilem vel inutilem esse contendunt.

IX.

Non sunt porro Ecclesiae notae, quas assignant Protestantes, videlicet pura verbi Dei praedicatio et legittimus usus sacramentorum.

X.

Verae Christi Ecclesiae notae in Constantinopolitano Symbolo recensentur, et sunt Unitas, Sanctitas, Catholicitas, Apostolicitas.

XI.

Nulla ex hisce notis in haereticorum et schismaticorum sectis invenitur.

XII.

Omnes vero in Romanam Ecclesiam praeclare conveniunt.

XIII.

Quare cum vera Christi Ecclesia non sit nisi Romana, inane est sectarum effugium, dum ajunt se a Romana quidem Ecclesia non autem ab Ecclesia Christi esse sejunctas.

XIV.

Nulla extra Romanam Ecclesiam salus fingi potest, ideoque qui culpabiliter extra eamdem degentes ex hac vita migrant, aeternam beatitudinem assequi non possunt.

XV.

Quod non ita est intelligendum quatenus vel omnes praedesti-

nati in vera Ecclesia contineantur vel soli praedestinati ejus sint membra.

XVI.

Ad veram Christi Ecclesiam pertinent omnes baptizati sive justi sive peccatores, qui ejusdem fidei Christianae professione et eorumdem sacramentorum participatione sub regimine Romani Pontificis Christi in terris Vicarii, aliorumque Pastorum cum eo communionem habentium consociantur.

XVII.

Viva autem ejus membra sunt omnes et soli justi qui baptismatis sacramento in Ecclesiae corpus cooptati, legittimis subsunt Pastoribus, et fide spe ac charitate pollent.

XVIII.

Varia autem Ecclesiae membra ita ex Christi voluntate disposita sunt, ut Ecclesia sit dicenda societas inaequalis.

XIX.

Ecclesia in accepta semel a Christo constitutione tum interna tum externa et perseveravit semper et perseverare in perpetuum debet, ut nec defecerit unquam nec deficere possit.

XX.

In iis quae ad fidem moresque pertinent, Spiritus Sancti assistentiam proesto habet Ecclesia, ideoque infallibilis est.

XXI.

Est infallibilis etiam in factis dogmaticis decernendis, seu in judicio proferendo de orthodoxia vel etherodoxia textuum non inspiratorum.

XXII.

Ad modum verae et perfectae Societatis Ecclesia a Christo con-

stituta est, et a civili societate tum origine tum fine tum mediis distincta dici debet ac plane diversa.

XXIII.

Christus contulit ei potestatem supremam et independentem sanciendi per leges exteriorem disciplinam.

XXIV.

Et causae omnes Ecclesiasticae, sive internum sive externum forum respiciunt, ex ipsa Christi institutione ipsius judiciariae potestati sunt subjiciendae.

XXV.

Executivam quoque potestatem a Christo recepit, qua per poenas etiam corporales posset suarum legum observantiam urgere.

XXVI.

Vehementer igitur errant Protestantes qui Ecclesiam dicunt non esse statum, sed esse in statu.

XXVII.

Errant etiam qui putant absque consensu et beneplacito alterius potestatis, Ecclesiasticam potestatem non posse suas leges promulgare.

XXVIII.

Potestas enim Ecclesiastica jure divino est destincta et independens etiam quoad externam politiam a potestate civili; et haec distinctio et independentia servari potest, quin Ecclesia invadat jura potestatis civilis.

DE ROMANO PONTIFICE

XXIX.

Inter omnes Apostolos, unum Petrum Christus elegit, cui honoris et jurisdictionis primatum (Math. C. XVI.) promisit, contulit vero (Io. C. XXI.)

XXX.

Supremam hujusmodi in Ecclesia auctoritatem a Christo institutam et B. Petro collatam , universa Ecclesiae traditio agnovit semper et asseruit.

XXXI.

Hunc vero primatum Christus immediate Petro non autem Ecclesiae contulit.

XXXII.

Iure meritoque damnata est doctrina Edmundi Richerii statuentis primatialem potestatem, primario, proprie, et essentialiter Ecclesiae seu omnium fidelium coetui a Christo collatam esse, Petro autem ac Romano Pontifici, nonnisi ministerialiter et quoad executionem.

XXXIII.

Primatus autem Petro collatus ad finem usque saeculorum perdurare in Ecclesia debet, et disponente Christo, deesse in Ecclesia nequeunt qui Petro jugiter succedant.

XXXIV.

Cum B. Petrus Romanum Episcopatum a se institutum et primatum in Ecclesiam universalem gesserit usque ad mortem, primatum ipsum Romanae Sedi inoculatum et insertum reliquit.

XXXV.

Quare Romani Pontifices Petri in Romano Episcopatu succes-

sores, illius primatum obtinent jure divino, non vero humana, aut Ecclesiastica, aut politica dispositione.

XXXVI.

Quod universa Patrum antiquitas confirmat, quae Romanum Pontificem semper Petri successorem professa est et verum Christi Vicarium, cui in B. Petro, pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam, ab ipso Christo tradita est potestas.

XXXVII.

Vi primatus Romanus Pontifex, ut supremus et universalis Ecclesiae rector, auctoritatem habet super omnes fideles etiam Episcopos, qui tamen non sunt ejus Vicarii et delegati, sed propria et ordinaria gaudent potestate.

XXXVIII.

Catholicam hanc doctrinam tum facto, tum verbis confirmat S. Gregorius M. cujus auctoritate proscribentis titulum Patriarchae aecumenici a Ioanne Iejunatore injuria usurpatum, pontificiae potestatis osores abutuntur.

XXXIX.

Ejusdem primatus vi Romanus Pontifex suprema pollet auctoritate in omnes Episcopos, etiam in generali synodo collectos.

XL.

Ad eum pariter spectat concilia oecumenica convocare, iis praesidere, eaque confirmare.

XLI.

Conciliorum generalium dogmatica decreta a Romano Pontifice confirmata, irreformabilia ex se sunt, seu ante consensum et acceptationem Ecclesiae.

XLII.

Distinctio nuper invecta inter primatus jura essentialia et accidentalia, commentitia est et naturae pontificii primatus prorsus adversatur.

XLIII.

Varii jurisdictionis gradus inter Episcopos non quidem a divina sed ab humana ordinatione proficiscuntur, et Pontificiae potestati sunt subjecti.

XLIV.

In aliorum episcoporum dioeceses potest Romanus Pontifex vi primatus, non solum ad supplendam episcoporum negligentiam aut ad occurrendum Ecclesiae in periculis et eventibus extraordinariis, sed quoties id expedire judicat suam auctoritatem exercere.

XLV.

Et perperam supremam Romani Pontificis potestatem interpretantur quotquot ejus jus dumtaxat esse dicunt curandi, ut leges ab Ecclesia latae in singulis dioecesibus serventur.

XLVI.

Habet Summus Pontifex potestatem leges ferendi disciplinares, haecque obligant universam Ecclesiam ante ipsius acceptationem.

XLVII.

Est etiam Romanus Pontifex universalis Ecclesiae judex ad quem graviora negotia, quae causae majores appellantur, sunt deferenda.

XLVIII.

In quibusvis autem causis Ecclesiasticis et a quibusvis judicibus ad eum appellari potest, ab ipsius autem judicio ad generale concilium appellare nunquam licet.

490

XLIX.

Est Romanus Pontifex supremus atque universalis Ecclesiae magister, et immunia ab omni errore habenda sunt antequam etiam Ecclesiae consensus accedat, judicia quae de fidei et morum doctrina solus ferat, suscepta tamen magistri universalis persona, et uti ajunt *ex Cathedra.*

L.

Eamdem Romani Pontificis infallibilitatem in rebus fidei et morum universa Patrum et loquendi et agendi ratio evidenter ostendit.

EX THEOLOGIA DOGMATICA

DE DEO EIVSQVE ATTRIBVTIS

I.

Deum unicum natura esse S. Litterae docent, et recta ratio confirmat.

II.

Dualistarum et Manichaeorum hypothesis de duplici summo principio bono et malo in se spectata contradictionem involvit, ac malorum in mundo origini explicandae est prorsus inepta.

III.

Deus est ens in omni perfectionum genere infinitus.

IV.

Deus omnimoda simplicitate praeditus est.

V.

Nulla realis admitti debet distinctio inter Deum eiusque attributa tum absoluta tum relativa neque inter attributa ipsa absoluta.

VI.

Potest humana ratio imo et debet distinguere attributa sive absoluta sive relativa ab essentia, et attributa absoluta inter se distinctione quam vocant cogitationis cum fundamento in re.

492

VII.

Deus absoluta immutabilitate gaudet.

VIII.

Idem Supremum Numen circa bona finita indifferentiae libertate pollet.

IX.

Deus est aeternus.

X.

Deus est immensus, et rebus omnibus locisque substantialiter praesens.

XI.

Deus semetipsum intelligit et comprehendit.

XII.

Omnia quoque et singula possibilia cognoscit.

XIII.

Per specta sunt divinae intelligentiae ea omnia quae aliquando existentiam sortiuntur, praeterita nempe, praesentia et futura sive necessaria sive libera.

XIV.

Divina scientia certa et infallibilis ad futura quoque contingentia conditionata se porrigit.

XV.

Deus supposito etiam peccato originali, voluntate beneplaciti seria et antecedente vult alios salvos fieri quam praedestinatos, et Christus non pro solis praedestinatis mortuus est, ac sanguinis sui praetium Deo Petri obtulit, sed etiam pro aliis saltem fidelibus.

XVI.

Vera, pia, catholica et fidei proxima est sententia quae docet Deum supposito etiam peccato originali velle vere ac sincere omnes et singulos homines saltem adultos salvos fieri, et Christum ex eadem sincera voluntate applicationis meritorum suorum pro iisdem mortuum esse et sanguinem fuisse.

XVII.

Veri nominis praedestinatio eaque certa et immutabilis ex parte Dei admitti debet.

XVIII.

Impium est asserere Deum ex solo beneplacito aliquos homines positive reprobasse et aeternis suppliciis destinasse absque peccati praevisione.

DE MYSTERIO TRINITATIS

XIX.

Distinctio divinarum Personarum ex V. T. pluribus oraculis colligitur.

XX.

In Bibliis N. T. aperte revelatur, in unitate divinae naturae tres esse Personas realiter distinctas coeternas et coequales nominibus Patris Filii et Spiritus S.

XXI.

Huius mysterii existentia perenni ac universa fluente ab Apostolorum aevo traditione firmatur.

XXII.

Secunda Trinitatis Persona, Verbum scilicet Patris vere ac pro-

prie Deus est, eidem Patri consubstantialis prout ex SS. litteris manifeste eruitur.

XXIII.

Huius dogmatis existentia a vetustissimorum Patrum sententia asseritur.

XXIV.

Gravissima a Socinianis appingitur calumnia ante-nicaenis Patribus Iustino, Arthenagorae, Tertulliano et Clementi Alexandrino dum eos Arianismo praelusisse contendunt.

XXV.

Praeter Patrem et Filium tertia ex catholica doctrina credi debet hypostasis ab utroque distincta, quaeque nomine Spiritus, Spiritus S. Paracliti in S. Scriptura insignitur.

XXVI.

Quae tertia hypostasis, prout perspicue docent scripturae vere Deus est.

XXVII.

Idipsum aperte ex Christiana et antiquissima traditione cognoscimus.

XXVIII.

Spiritus S. a Patre filioque procedit tamquam ab unico principio et unica spiratione.

XXIX.

Quod a Patribus Graecis numquam fuit denegatum licet multi ex ipsis scripserint Spiritum S. procedere a Patre per Filium.

XXX.

Iure particula *Filioque* apposita est symbolo Cpno et immerito Latina Ecclesia ab hanc veritatis catholicae declarationem tamquam Synodi Ephesinae decreto contradicens a Graecis schismaticis lacessitur.

XXXI.

Revelata de mysterio Trinitatis doctrina nil continet quod rectae rationis principiis adversari rationalistae valeant ostendere.

DE HOMINE

XXXII.

Primus homo in sanctitate et iustitia fuit constitutus.

XXXIII.

Cum iustitia vero et sanctitate ex Dei ordinatione coniuncta erant in Adam eximia tum animi tum corporis dona, integritas praesertim et immortalitas.

XXXIV.

Status originalis iustitiae et sanctitatis in quo primi parentes constituti fuere a Deo, non erat eis debitus.

XXXV.

Primi parentes mandatum a Deo datum transgressi sunt et per eius transgressionem graviter peccarunt.

XXXVI.

Peccatum hoc *ineffabiliter grande* quod est mors animae in omne genus humanum non imitatione sed propagatione

transfundi SS. litterae , potissimum Rom. V. apertissime docent.

XXXVII.

Peccati originalis propagationem perpetua et constans docet Ecclesiae traditio.

XXXVIII.

Neque aliorum Patrum consensui S. Ioannes Crisostomus est refragatus.

XXXIX.

Dogma de peccati originalis propagatione nullo modo rectae rationi adversari ostendi potest.

XL.

Licet per peccatum originale attenuatum sit et inclinatum liberum hominis arbitrium, extinctum tamen non fuit,

XLI.

Beatissima Virgo Maria in primo instanti conceptionis suae fuit singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Iesu Christi humani generis Salvatoris ab omni culpae originalis labe praeservata immunis.

DE INCARNATIONE

XLII.

In Iesu Christo vera divinitas est agnoscenda.

XLIII.

Verbum Dei veram carnem assumpsit, eamque ex utero B. Mariae Virginis traxit.

XLIV.

Verbum assumpsit etiam animam rationis participem.

XLV.

Filius Dei ex Maria ita natus est, ut haec beatissima Mater ante partum, in partu et post partum Virgo permanserit.

XLVI.

Christus fuit vere obnoxius humanis affectibus et doloribus.

XLVII.

Unio in Christo duarum naturam, nempe divinae et humanae hypostatica fuit, ut unica in ipso eaque divina persona sit agnoscenda.

XLVIII.

Et B. Maria Virgo non Christipara tantum sed Deipara est, et tali nomine salutanda.

LXIX.

Christus etiam qua hic homo est dici debet Filius Dei naturalis, non adoptivus.

L.

Duae autem Christi naturae etiam post adunationem integrae manent, distinctae, inconfusae et impermixtae.

LI.

Duae pariter naturales voluntates et operationes indivisae et inconfusae in Christo sunt admittendae.

LII.

Admittenda in Christo est idiomatum communicatio in concreto.

LIII.

Humana Christi natura unò eodemque supremo latriae cultu adorari debet cum Verbo divino, cum quò est hypostatice coniuncta.

DE GRATIA CHRISTI

LIV.

Ad omnes et singulos actus salutares necessaria est interior Spiritus S. gratia illustrationis et inspirationis.

LV.

Necessaria est Dei gratia homini lapso tum ad omnes veritates ordinis naturalis cognoscendas, tum ad universam legem implendam, tum denique ad graves tentationes superandas.

LVI.

Sine Spiritus S. illustratione et inspiratione non potest homo habere neque ipsum salutare fidei initium, et boni operis inchoationem.

LVII.

Potest homo lapsus absque speciali gratiae auxilio nonnullas ordinis naturalis veritates cognoscere, tum faciliora eiusdem ordinis naturalis opera perficere , ac leves tentationes superare.

LVIII.

Ante fidei gratiam potest homo lapsus aliqua opera moraliter bona efficere nec omnia propterea infidelium opera sunt peccata.

LIX.

Item ante adeptam iustificationem potest homo fidelis actuali

gratia adiutus actus bonos et supernaturales elicere, adeoque non omnia peccatorum opera sunt peccata.

LX.

Non potest homo justificatus in tota vita sua peccata omnia etiam venialia vitare nisi ex speciali privilegio.

LXI.

Nec potest homo iustificatus sine speciali Dei auxilio in accepta iustitia perseverare.

LXII.

Magnum perseverantiae donum nulli hnmanae naturae merito rependitur, sed quod huic ex Dei misericordia confertur illi ex iusto, licet occulto, Dei iudicio negatur.

LXIII.

Gratia est omnino gratuita, seu nulla opera ordinis naturalis possunt mereri gratiam sive de condigno sive de congruo.

LXIV.

Admittenda est gratia efficax, quae cum salutari ad quem a Deo conceditur, effectu infallibiliter coniungitur.

LXV.

Quae gratia nullam infert homini necessitatem.

LXVI.

Hinc falsum est voluntatem hominis lapsi bonum vel malum necessario amplecti pro maiori indeliberata delectatione, vel theologicae caritatis, vel concupiscentiae, adeo ut alterutra sit ad agendum necessitans.

LXVII.

In statu naturae lapsae datur gratia mere et vere sufficiens, quae licet perfectam, completam et relativam bene agendi potentiam tribuat, ob liberi tamen arbitrii resistentiam effectu caret, et in vacuum recipitur.

LXVIII.

Quae gratia iustis omnibus praesertim volentibus et conantibus urgente praecepto confertur.

LXIX.

Imo haec gratia fidelibus omnibus peccatoribus tribuitur, adeo ut ipsa instructi possint tum peccata praecavere, tum a peccatis pro loco, tempore caeterisque adiunctis resipiscere.

LXX.

Praeter has gratias actuales admitti quoque debet gratia illa quae habitualis vocari solet, quaeque a Deo animae infunditur ut per ipsam homo formaliter sanctificatus , iustus fiat, Deo gratus eiusque filius adoptivus.

LXXI.

In impii iustificatione peccata non teguntur solum aut extrinsecus non imputantur, sed vere remittuntur et prorsus delentur.

LXXII.

Perperam haeretici iustificationem ponunt aut in sola imputatione iustitiae Christi, aut sola peccatorum remissione, negantes iustificari nos per gratiam et charitatem quae in cordibus nostris per Spiritnm S. diffunditur, et illis inhaeret.

LXXIII.

Sola fides non iustificat, sed aliae praeter ipsam dispositiones ad iustificationem consequendam in adultis praerequiruntur.

LXXXIV.

Iusti per bona opera ex gratia facta vere merentur gloriam aeternam, eiusque gratiae augmentum.

LXXV.

Ad merendum autem vel demerendum in statu naturae lapsae non sufficit libertas a coactione sed requiritur libertas a necessitate.

DE RE SACRAMENTARIA

I.

Sacramenta Novae Legis septem numero sunt nec plura nec pauciora.

II.

Quae quidem non propter solam excitandam fidem instituta sunt, sed continent gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt *ex opere operato*.

III.

Eadem Novae Legis Sacramenta a Veteris Legis sacramentis non in hoc tantum differunt quod aliae sunt ceremoniae et alii ritus externi, sed virtute.

IV.

Tria Sacramenta, Baptismus nempe Confirmatio et Ordo, in anima suscipientium characterem imprimunt.

V.

Non omnes baptizati in omnibus sacramentis conferendis potestatem habent.

VI.

In ministris dum Sacramenta conficiunt et conferunt requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.

VII.

Qui etsi peccato mortali obnoxii sint, modo tamen omnia essentialia quae ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverint, vere conficiunt et conferunt sacramentum.

VIII.

Imo si eadem serventur, etiam haeresis aut schisma cui ille adhereat qui sacramenta conficit et ministrat, non impedit quominus ea rata sint.

IX.

Recepti et approbati Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, nec in novos alios per quemcumque Ecclesiae pastorem immutari possunt.

X.

Sacramenti Baptismi materia, ut ajunt, *remota* est dumtaxat aqua *vera et naturalis*. Et verba D. N. J. C. quae leguntur Jo. III. 5. « Nisi quis renatus fuerit etc. non possunt ad metaphoram aliquam detorqueri.

XI.

Baptismus in explicita invocatione trium personarum SSmae Trinitatis conferri debet.

XII.

Praeceptum Christi Math. XVIII. 19 de Baptismo conferendo in nomine Patris et Filii etc. etiam Apostolos respiciebat, et quae leguntur in Actis non probant eos ab hujusmodi praecepto fuisse dispensatos.

XIII.

Baptismus tollit quidquid peccati rationem habet.

XIV.

Liber non est; sed necessarius necessitate medii ad salutem.

XV.

Praestat parvulos baptizare, licet actum credendi non habeant.

XVI.

In SSmo Eucharistiae Sacramento, vere realiter et substantialiter contineri corpus et sanguinem D. N. J. C. demonstratur ex ipsius promissionibus, quae habentur Joh.. VI. vv. 52. et seqq.

XVII.

Haec eadem veritas colligitur ex verbis institutionis.

XVIII.

Hoc idem ex traditione patet.

XIX.

Et frustra Calviniani ad Augustinum confugiunt, ut veterem in eo sententiae suae propugnatorem Catholicis objiciant.

XX.

In SSmo hoc Sacramento haereticum est asserere remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. J. C. et negare mirabilem illam ac singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus

panis et vini, quam conversionem Ecclesia aptissime *trans-substantiationem* appellat.

XXI.

Christus in Eucharistia sub utraque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus et integer continetur.

XXII.

Nec tantum in usu dum sumitur praesens est, sed consecratione peracta, et ante et post usum; ita ut remaneat in hostiis, seu particulis consecratis quae post communionem asservantur vel supersunt.

XXIII.

Hinc in eodem Sacramento, latriae cultu est adorandus.

XXIV.

Actualis perceptio Eucharistiae non est necessaria *necessitate medii* ad salutem.

XXV.

Verum ac proprie dictum sacrificium in Missa offerri Sacrae Litterae docent.

XXVI.

Quod et SS. Patres et perpetuus Ecclesiae sensus et fides confirmat.

XXVII.

Hoc sacrificium non est laudis tantum, vel gratiarum actionis aut nuda commemoratio sacrificii Crucis, sed est vere *propitiatorium*.

XXVIII.

Per quod tamen eidem sacrificio Crucis nullam injuriam inferimus, neque illi per hoc ullo modo derogamus.

XXIX.

Missae in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitae non sunt, neque propterea abrogandae.

XXX.

Ut ab iis peccatis, quae post Baptismum admissa sunt, mundari homines possint, Christus Poenitentiam instituit verum et proprium Novae Legis Sacramentum.

XXXI.

Gravissime erant Protestantes, qui Sacramenta confundentes, ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum esse dicunt, et peccata quae post Baptismum patrantur, sola suscepti Baptismi recordatione remitti posse comminiscuntur.

XXXII.

Adversus Montanistas et Novatianos defendimus nullum esse peccatum, quod remitti ab Ecclesia virtute clavium non possit.

XXXIII.

Timor gehennae, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, aut a peccato abstinemus, peccatum non est, neque peccatores pejores facit.

XXXIV.

Contritio charitate perfecta animata non est dispositio necessaria ad justificationis gratiam in Poenitentiae Sacramento obtinendam.

XXXV.

Quin immo si contingat aliquando contritionem peccatoris perfectam esse, eum reconciliari Deo contendimus priusquam hoc sacramentum *actu* suscipiat non sine tamen sacramenti voto, quod in illa contritione includitur.

XXXVI.

Ad remissionem peccatorum in Sacramento Poenitentiae obtinendam esse necessariam eorumdem confessionem ex Christi institutione, SS. Litterae docent.

XXXVII.

Hoc ipsum ex Patrum doctrina et Ecclesiae praxi confirmatur.

XXXVIII.

Non semper in Sacramento Poenitentiae, una cum culpa et poena aeterna, omne etiam debitum poenae temporalis dimittitur.

XXXIX.

Matrimonium esse verum et proprium Novae Legis Sacramentum ostendimus.

XL.

Ex quo sequitur ad Ecclesiam proprio et nativo jure pertinere potestatem ferendi leges, quibus Christiani conjungi sanctitati prospicitur.

XLI.

Christianorum conjugium, hoc ipso quod ex Chrisii voluntate et institutione Sacramenti rationem habet in se et objective spectatum, nullatenus a politica potestate pendet.

XLII.

Iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterutrius conjugum matrimonii vinculum dissolvi non potest.

XLIII.

Non licet Christianis plures simul habere uxores, idque ipsis divina lege prohibitum est.

XLIV.

Iure Concilium Tridentinum Sess. 25. c. 4. anathema inflixit eis, qui dixerint causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos.

XLV.

Potestas constituendi impedimenta matrimonium dirimentia solius Ecclesiae est propria.

EX HISTORIA ECCLESIASTICA

I.

Omnibus superatis impedimentis christianam religionem summa celeritate per universum orbem propagatam fuisse, luculentissimis testimoniis demonstratur.

II.

Quod factum, omnibus inspectis adiunctis, ex eiusdem religionis divinitate est procul dubio repetendum.

III.

Neque enim in dubium revocari ullo modo potest, homines, perspecta supernaturali nostrae religionis origine atque constitutione, ad eamdem amplectendam fuisse adductos.

IV.

Quod sane mirandum in modum confirmat cum numerus, tum constantia omnium illorum martyrum, qui externam catholicae fidei professionem primis Ecclesiae saeculis proprio sanguine obsignarunt.

V.

Petrum Apostolorum Principem Romam venisse exploratissisimum est.

VI.

Aeque certum est ex historiae monumentis Petrum romanum episcopatum instituisse ; illumque usque ad mortem retinuisse.

VII.

Costantinus auctoritate Silvestri R. P. Concilium Nicaenum I. convocavit , eique Rom. Pontifex praefuit per suos Legatos.

VIII.

Ad infirmandum vero jus primatus Rom. Pontificis perperam Canon. VI hujus Concilii profertur.

IX.

Falsa est illorum sententia, qui cum Febronio asserunt in Cann. III. IV. VII. Concilii Sardicensis iuxta editionem Dionysii Exigui tributam esse Romano Pontifici solam auctoritatem decernendi revisionem causae.

X.

Aeque falso asseritur originem iuris appellationum recipiendarum in Romano Pontifice iisdem Canonibus adscribi debere.

XI.

Patres enim Sardicenses in Canonibus IV. VII. iuxta citatam editionem demonstrarunt se agnoscere in Romano Pontifice ius nativum appellationes recipiendi a quibuscumque judiciis.

XII.

S. Ioannes Chrysostomus a Theophyli Alexandrini sententia , qua fuerat a sua Sede depositus vere et proprie ad Innocentium I. Romanum Pontificem appellavit.

XIII.

Episcopi Africani sua agendi ratione in causa Appiarii Presbyteri Siccensis, qui provocavit ad romanam Sedem non improbarunt jus Romani Pontificis in recipiendis appellationibus.

XIV.

Patres Concilii Africani prohibentes presbyteris et aliis inferioribus clericis ne provocarent ad *iudicia transmarina* nullum praebent argumentum contra idem ius Romanae Sedis.

XV.

Concilium Constantinopolitanum I. Synodi oecumenicae auctoritatem obtinuit in his quae contra Macedonianos in eadem Synodo constituta sunt.

XVI.

Concilium Ephesinum I. oecumenicum fuit.

XVII.

Caelestini R. P. Decretum in causa Nestorii et ante Concilium Ephesinum et in ipso Concilio uti supremum ac definitivum habitum fuit.

XVIII.

Synodus Chalcedonensis Synodus oecumenicis est accensenda.

XIX.

Patres Chalcedonenses luculenter ostenderunt Epistolam dogmaticam S. Leonis M. ad Flavianum ante quodcumque examen infallibili auctoritate gaudere.

XX.

Iure meritoque Concilium V. proscripsit Theodori Mopsuesteni personam et scripta, item scripta Theodoreti Cyrensis , et epistolam Ibae Edesseni; damnationis sententia sub nomine eorum auctorum prolata.

XXI.

Quod Concilii V. judicium non contradicit judicio Concilii Ephesini et Chalcedonensis.

XXII.

Concilium autem V. neque convocatione, neque celebratione fuit oecumenicum, sed tantum celebratione.

XXIII.

Ex iis vero, quae gessit Virgilius R. P. non potest concludi ipsum aut in fide, aut in facto dogmatico errasse.

XXIV.

Concilium Constantinopolitanum III. seu generale VI. sub praesidentia Legatorum R. P. celebratum et, a Leone II. confirmatum merito inter oecumenica enumeratur.

XXV.

Non potest tamen affirmari Patres hujus Concilii anathema proferendo in Honorium repugnasse sententiae de infallibilitate Rom. Pontificis in definitionibus dogmaticis, seu cum, uti ajunt, ex cathedra loquitur.

XXVI.

Neque dici potest agendi rationem ejusdem Concilii VI. circa Honorium argumentum suppeditare iis, qui Rom. Pontificem auctoritati Concilii oecumenici subesse contendunt.

XXVII.

Concilium VII., seu Nicaenum II., Rom. Pontifice convocante, praesidente per suos Legatos, et confirmante robur obtinuit.

XVIII.

Concilium VII. merito uti oecumenicum habetur.

XXIX.

Concilium Constantiense in iis omnibus, quae a Martino V. adprobata sunt, oecumenicae Synodi auctoritatem obtinuit.

XXX.

Quae Rom. Pontificis adprobatio certe defuit Decretis Sessionis IV. et V. ejusdem Concilii, in quibus agitur de superioritate Concilii relate ad Rom. Pontificem.

XXXI.

Patres Costantienses in iisdem Decretis edendis noluerunt aliquid statuere de auctoritate Concilii generalis relate ad Pontificem certo legittimum et extra schismatis casum.

XXXII.

Florentina Synodus sub Eugenio IV. legittima et oecumenica fuit: quod autem subinde Graeci ab unione defecerint, id eorumdem tantummodo culpae est tribuendum.

Disputabitur mane hora 9 in Aula Maxima Pontificii Seminarii Romani facta omnibus indiscriminatim contradicendi venia; vespere hora 5 in Aede S. Apollinaris, data cuilibet post quartum arguendi facultate. Praesidibus RR. DD. Can. Pio Delicati Historiae Ecclesiasticae — Can. Philippo Torroni Locorum Theologicorum — Ubaldo Ubaldi Sacrae Scripturae — Vincentio Tuzi Theologiae Dogmaticae — Francisco Segna Rei Sacramentariae Doctoribus Decurialibus in Lycaeo Pont. Seminarii Romani.

IMPRIMATUR

Fr. Marianus Spada O. P. Sacr. Pal. Ap. Mag.

IMPRIMATUR

Ioseph Angelini Archiep. Chorint. Vicesgerens